

magia vulnerum curatione. pag. 602. §. 44. & 45. Nam usnea cranij humani constituit balsin unguenti armarij, quo ipso telis illito curantur vulnera inflicta ab ipsis. Descriptio, cujus primus inventor est Paracelsus, est hæc:

℞. Usnea Cranij humani ℥ij.

Mumia vera (in defectu hujus mumie patibuli) ℥ss.

Oleum Lini ℥j.

Oleum rosarum.

Boli armeni āa ℥j.

Misceatur, fiat unguentum. Sunt, qui non sine ratione & effectu addunt pinguedinem ursinam & aprinam: Usnea hæc commendatur ad impenetrabilitatem ab armis, ubi eam magnificat *Stavicus in Helden Schatz* pag. 98. Si fieret digestio usneæ cum Tinctoria & Oli, sanè possent fieri miracula in compescendâ hæmorrhagia, & esset medicamentum stupendum. Loco usneæ excrescentis instar musci spontè ex cranijshominum violentâ morte interemptorum. Sunt, qui faciunt vegetatum: ℞. Muscum mense Aprilis ex lapidibus campestribus, cumque leviter exsiccatum & pulverisatum, irrorant cum paucio vini Petri Simonis, ut fiat instar pulvis crassioris: Hunc pulvem cum cultro illinunt leviter cranio suspensi, & ita sensim permittunt, ut exsiccet, & ponunt sub dio seu cælo aperto, quoties verò pluvia imminet, toties ponunt in locum siccum, sicque conficiunt usneam, quæ non est inferior usneæ ex cranio spontè provenienti: de quo vid. *HILDANVS Cent. Epist. 27.* CEREBRUM, cujus spiritus descriptionem habet *AUCTOR* ex *HARTMANNO*, est certissimum specificum in *Apoplexia*, uti etiam in *Epilepsia*. Cerebrum humanum, cum destillatur, valdè prodest ad *deperditam memoriam*, auctore *BARTHOLETO*. Aliàs de substantia cerebri oleosa, deque oleo ejusdem pingui potest videri *BARRHVS* in *Epistolis ad Bartholinum* de cerebro *Epist. p. 15.* ubi sunt singularia & lectu digna. FEL HUMANUM destillatum subministrat aquam insignem *ophthalmicam*, quæ maculas, suffusiones, ungues & pannos oculorum certò detergit & abstergit. Item ex felle humano inspissato cum spiritu vini, extracta *Essentia* mirifica est in curandâ *surditate* & tollendis affectibus aurium.

LEPVS.

A Nimal congener homini satis cognitum: Exhibet 1. Cinerem ex lepore combusto, qui cinis eodem modo, ad quem vult *AUCTOR*, collectus & paratus valdè convenit in *pellendo calculo*, si in interioribus assumatur, in quo valdè commendatur. OCULI leporis &c. pellunt fætum, dicit *AUCTOR*: cujus rei experientiam primus manifestavit

HARTMANNVS, & ceu certum ac expertum commendavit: Idem tamen videtur confirmatum à *MAIORE* in tract. de *inunctione verticis* §. 6. uti etiam in *RIVERO lib. 15. prax. c. 18.* id quod mirandum, quod oculus leporis applicatus vertici pellat fætum & secundinas. SANGUIS leporinus est singulare in curanda *Dysenteria* experimentum: sed observetur, necessum esse, ut sit sanguis leporis à *Vertagis* in fugam acti ac perterrefacti, subque terrore interfecti: Sanguis hic excipitur tunc linteo, exsiccat & vino infunditur, quod vinum infusionis certò curat *Dysenteriam*: id quod fuit secretum *HELMONTII* in *scriptis* pag. 381. ubi eleganter de hoc sanguine discurret, & *D. MICHAEL* hoc ipsum propriâ experientiâ edoctus confirmavit: uti etiam laudatur à *SCMVCK* in *Thesauro 2. secret. med. 10.* modo legatur *HELMONT.* qui satis eleganter disserit, quod *Idea pavoris sanguini* in fuga impressa curet *Dysenteriam*. Imò ipse sanguis leporis extractus, exsiccat & pulverisatus idem præstata linteum, si propinetur ad .j. in aqua appropriatâ, vid. *MINDERERVM in der Arzney* p. 42. loco hujus potest substitui sanguis agninus, si benè prius agitetur, & in terrore ac pavore interficiatur. Linteum sanguine leporino imprægnatum applicatur quoque *Erysipelati* certo experimento *HELMONT.* uti videri potest in *locis Practicis*, in quibus est fide lissimus, utut in *Theoria* interdum vacillet. CEREBRVM leporinum, si in difficili dentitione illinatur gingivis, mirè dentes extrahit: sed observetur, esse fortè admodum remedium, & non nisi alijs extraneis & frustraneis adhibendum. In *quartana* leporis est certum experimentum, si in quatuor partes dissectur, exsiccet, & semper ante paroxysmum una pars pulverisata assumatur: vid. de hoc *SENNERTVS in praxi* pag. 313. de febribus, & adhuc fuit confirmatum ab experientia: Sic *D. TOBIAS TORNERVS* multis hominibus propinavit hunc pulverem in quartanis, id quod vid. in *HORSTII obs. lib. 4. pag. 234.* ubi in *Epistolis Medicis*, quas ad eum scribit, pulverem cordis leporis mirè in quartana laudat: Sed hoc non semper succedit, nisi prius in fugam actus lepus interficiatur, dum adhuc versatur in pavore, de illo, qui est ex improviso & casu interemptus, non semper prosper expectandus eventus. Uterus Leporinus commendatur valdè, si siccat & propinetur in *hydropo uteri*. Deinde ad impediendam *sterilitatem* mulierum. Uterus leporinus est egregius, in primis si fiat *Essentia ex matrice leporis*, & secundina mulieris fecundæ, & propinetur interne, reddit mulieres steriles conceptioni idoneas. Quod dicitur de matrice leporina, valet de *coagulo leporis*, si propinetur mulieribus finito fluxu mensium, quod in *sterilitate* mirè etiam commendatur. Loco matricis leporinae matrix suilla vel cervina potest usurpari. Propina-

* Z 2

pina-